f. 2. 6

STATUTA

COLLEGII

SIVE

COMMUNITATIS

MEDICORUM

LONDINENSIS.

M.DCC.LXV.

238

5

MVSEVM BRITANNICVM

IMPRIMATUR,

Hic liber, cui titulus

STATUTA COLLEGII SIVE COMMUNITATIS MEDICORUM LONDINENSIS.

GULIELMUS BATTIE, *Præsidens.*

Antonius Askew,
Georgius Baker,
Richardus Warren,
Swithinus Adee,
} *Censores.*

Dat. ex Ædibus Collegii in Comitiis Censoriis, Aprilis Mensis 5to, 1765.

NOMINA
SOCIORUM
ET
PERMISSORUM
COLLEGII REGALIS MEDICORUM LONDINENSIS.

SOCII.

GULIELMUS BATTIE, *Præsidens.*
Radolphus Bourchier.
Gulielmus Browne, *Eques Auratus, Elect.*
Edvardus Wilmot, *Baronettus, Med. Reg.*
Johannes Newington.
Francus Nicholls.
Pelham Johnston.
Matthæus Clarke.
Thomas Reeve, *Elect.*
Ambrosius Dawson, *Elect.*

Russell

Ruſſell Plumptre, *Reg. Prof. Medic. Cantab.*
Jacobus Hawley, *Elect.*
Matthæus Morley.
Carolus Chauncy.
Thomas Addams.
Thomas Lawrence, *Elect. & Regiſtrarius.*
Edmundus Crynes.
Gulielmus Hebberden, *Elect.*
Gulielmus Muſhet.
Gulielmus Pitcairn, *Elect.*
Johannes Monro.
Antonius Aſkew, *Cenſor.*
Nathan Alcock.
Thomas Wilbraham.
Marcus Akenſide, *Med. Regin.*
Nicolaus Munckley.
Thomas Wharton.
Carolus Milner.
Henricus Hinckley, *Theſaurarius.*
Antonius Addington.
Richardus Brockleſby.

Johannes

Johannes Clerke.
Georgius Baker, *Cenſor, Med. Regin. ad Familiam.*
Noah Thomas, *Med. Reg. Extraord.*
Gulielmus Cadogan.
Thomas Giſborne, *Med. Reg. ad Familiam.*
Thomas Healde.
Richardus Tyſon.
Edvardus Barry.
Wilkinſon Blanſhard.
Richardus Warren, *Cenſor, Med. Reg.*
Robertus Glynn Clobery.
Clifton Wintringham, *Eques Auratus, Med. Reg.*
Johannes Pringle, *Med. Regin.*
Swithinus Adee, *Cenſor.*
Antonius Relhan.
Thomas Brooke,

PERMISSI.

NIcolaus Robinſon.
Samuel Pye.
Johannes Eaton.
Gulielmus Clark.
Johannes Andree.
Johannes Fothergill.
Petrus Canvane.
Moſes Griffith.
Carolus Morton.
Jacobus Parſons.
Hermannus Heineken.
Johannes Baptiſta Sylveſter.
Georgius Lamont.
Franciſcus Philippus Duval.
Philippus de la Cour.
Samuel Jebb.
Georgius Macaulay.
Jacobus Dargent.
Daniel Petrus Layard.

Edvardus

Edvardus Archer.
Richardus Jebb.
Donaldus Monro.
Gulielmus Hunter, *Med. Regin. Extraord.*
Gulielmus Duncan, *Baronettus, Med. Reg.*
Samuel Wathen.
Jacobus Grainger.
Chriſtophorus Kelly.
David D'Eſcherny.
Carolus Lucas.
Gulielmus Watſon.
Thomas Milner.
Alexander Ruſſell.
Michael Morris.
Jacobus Greive.
Johannes Eliot.
Thomas Dawſon.
Hugo Smith.
Johannes Brickenden.
Gulielmus Grant.

Jacobus

Jacobus Ford.
Maxwell Garthſhore.
Thomas Dixon.
Johannes Morgan.
Robertus Knox.
Richardus Huck.
Samuel Chapman.
Georgius Lawſon.

STATUTA

STATUTA

COLLEGII sive COMMUNITATIS MEDICORUM LONDINENSIS.

CUM Regis Henrici octavi privata gratia & Parliamenti decretis sancitum sit, ut *Collegium perpetuum doctorum & gravium virorum, qui medicinam in urbe Londino & suburbiis intraque septem millia passuum ab ea urbe quaquaversus publice exerceant:* Visum est Nobis, Præsidenti & Collegio, ut *Statuta quædam & ordinationes, pro salubri gubernatione supervisu & correctione Collegii seu Communitatis prædictæ, & omnium hominum eandem facultatem in dicta civitate seu per septem milliaria in circuitu*

cuitu ejuſdem civitatis exercentium, ſecundum poteſtatem auctoritate prædicta nobis conceſſam, faciamus.

CAPUT I.

De Electis.

STATUIMUS igitur, &, quantum in nobis eſt, ordinamus ut e numero Sociorum octo Electi creentur: Qui omnes locum ſuum inter Socios nihilominus retineant.

Horum, inter alia, officium eſto, poſtridie Divi Michaelis (ſiquidem commode fieri poterit, at vero, ſi ob gravia quædam impedimenta id non licebit, alio die magis idoneo, modo ſit intra hebdomadam a tempore præſtituto) in comitiis majoribus Præſidentem e numero Electorum eligere, ſi anni ſuperioris Præſidens finito præſidendi anno ſuperfuerit: Sin autem prius

prius defecerit, quam primum commode fieri poterit, alium ſubrogare, intra viginti dies.

Si vero quiſpiam ex Electorum numero vel morte vel aliter defecerit, Præſidens aut Propræſidens, intra dies triginta aut quadraginta, reliquos Electos convocet ad examinandum & eligendum novum Electum.

Volumus autem quod in hac tam Electi quam Præſidentis electione occulte per pilas ferantur ſuffragia. Quod ſi paria fuerint ſuffragia, Præſidens aut Propræſidens & duo ſeniores ex Electis præſentibus, ſuffragiis eodem modo latis, de electione decernant.

Qui in hunc ordinem electus fuerit, det fidem ſe in neminem ſuffragium collaturum, ut in Præſidentis aut Electi locum ſubrogetur, niſi ſecundum formam Statuti, & niſi ejus gravitatem, eruditionem, mores integros, ætatem decen-

decentem, ſincerum animum in Collegium & rempublicam, & alacritatem in obeundis officiis, cognita & perſpecta habuerit.

CAPUT II.

De Præſidente & Propræſidente.

QUI Præſidens futurus eſt, in tempus non annuo longius deſignetur; ſitque e numero Electorum, & quem cæteri Electi idoneum judicaverint; idque eo anni tempore fiat, quo jam ante conſtitutum eſt cum de Electis ageremus.

Si paria fuerint Electorum ſuffragia, tres ſeniores ex Electis præſentibus, ſuffragiis per pilas occulte latis, an is de quo agitur Præſidens futurus ſit necne decernant.

Si

Si qui electus est Præsidentis munus ei delatum recusaverit, multetur quadraginta solidis.

Det fidem Præsidens electus se pro viribus conaturum ut honos Collegii conservetur, & Statuta ejusdem sine fraude observentur; omniaque acturum in salutem reipublicæ, & honestam Collegii utilitatem.

Fidem a Præsidente novo coram Sociis omnibus, qui in comitiis illis adfuerint, accipiat senior ex Electis præsentibus.

Qui fidem a Præsidente novo acceperit, idem illi porrigat muneris insignia; dicatque, *Damus tibi præsidendi auctoritatem, inque tuas manus hæcce muneris insignia tradimus.*

Finito anno officium suum deponat Præsidens; &, si quæ libuerit præfatus, dicat *Depono præsidendi auctoritatem, inque*

inque tuas manus (ſenioris ſcilicet ex Electis præſentibus) *totius ſocietatis nomine reſtituo, ut integrum ſit, quibus eligendi poteſtas eſt, quem velint eligere. Reddo igitur tibi muneris hæcce inſignia, precorque Collegio & vobis omnibus omnia fauſta.*

Quo facto, ſenior ex Electis præſentibus cæteris Electis ſeorſim congregatis proponat eligendum in Præſidentem, quem velit ex Electorum numero: Et ad Socios reliquos una cum cæteris Electis reverſus eum, qui electus fuerit, clare & nominatim pronunciet electum in Præſidentem; jubeatque ut omnes eum pro Præſidente habeant; deníque fidem ab eo accipiat formula ſupra præſcripta.

Præſidentis officium eſto ut comitia indicat, & cauſas comitiorum proponat, ſingulorum ſententias accipiat; Electos, Cenſores, Officiarios, & Collegas, nec non ad medicinæ facultatem exercendam

dam per Collegium admittendos, cum cæteris, quorum ea res intererit, eligat. In omnibus Collegii negotiis aliorum ſuffragia primum accipiat, dein ſuum ferat, & pro majori parte pronunciet; ſi vero paria fuerint ſuffragia, ipſe rem decernat.

Curet præterea ut ſigillum commune cuſtodiatur in apotheca, cujus Præſidens Theſaurarius Regiſtrarius & Cenſorum ſenior diverſas habeant claves. Omnia ipſe obſignet, quæcunque a Sociis decreta fuerint. Omnia fidei ſuæ a Collegio commiſſa diligenter cuſtodiat. Rationem denique acceptorum & expenſorum ſaltem ſemel in anno, & quotieſcunque ipſi viſum fuerit, a Theſaurario cæteriſque Officiariis Collegii exigat coram Electis; quos omnes admoneri volumus ut computandis rationibus præſto ſint, ſi modo commode poterint.

Liceat

Liceat Præſidenti, quacunque de cauſa impedito, Propræſidentem ex Electorum numero, per literas propria manu ſubſcriptas, vel per nuncium fidelem ad Regiſtrarium miſſum, ſubſtituere.

Hujus officium eſto ſupplere locum Præſidentis abſentis in omnibus Collegii negotiis gerendis & adminiſtrandis, quæ abſque miniſterio Præſidentis aut Propræſidentis obiri nequeant.

Duret officium pro arbitrio Præſidentis.

CAPUT III.

De Cenſoribus.

STATUIMUS & ordinamus ut ſingulis annis, poſtquam Præſidens electus fuerit, quatuor viri docti e Sociorum numero a Præſidente, in comitiis

mitiis iisdem majoribus, vel in comitiis quibuslibet majoribus, sive ordinariis sive extraordinariis, quam primum commode fieri poterit, singulatim proponantur in Censores, consensu majoris partis Sociorum præsentium, eligendi. Si vero paria fuerint suffragia, de electione decernat Præsidens. Volumus autem ut tam in hac electione, quam in omnibus aliis electionibus, occulte per pilas ferantur suffragia: In aliis autem Collegii negotiis, prout visum fuerit Præsidenti aut Propræsidenti; nisi suffragia per pilas ferenda postulaverint quinque e Sociis præsentibus.

Censorum officium esto (præter *supervisum & scrutinium correctionem & gubernationem omnium & singulorum civitatis Londinensis Medicorum*, & cætera munia Regis & Parliamenti auctoritate ipsis mandata) omnes etiam, qui in civitate Londino aut per septem milliaria in circuitu ejusdem

 medi-

medicinam exercent, licet ad hoc non ſint admiſſi per Præſidentis & Collegii literas ſigillo noſtro communi ſigillatas, una cum Præſidente aut Propræſidente, pro ipſorum arbitrio, admonere; & lite (ſi opus fuerit) una cum Præſidente & Theſaurario perſequi; nec non eos, qui in Sociorum aut Candidatorum ordinem aut Permiſſorum numerum ut admittantur petiverint, examinare.

Jurent coram Præſidente ſe officio ſuo probe functuros, ſicut eos Deus adjuvet & ſancta Dei Evangelia.

Si quis e numero Cenſorum nondum finito anno vel morte vel aliter defecerit, alium e Sociorum numero in comitiis majoribus, quam primum commode fieri poterit, Præſidens aut Propræſidens eligendum in Cenſorem proponat. Qui modo prædicto electus, & juramento prædicto devinctus, Cenſoris, qui defecerit, locum per reliquum anni ſpatium ſuppleat.

CAPUT

CAPUT IV.

De Thesaurario.

THESAURARIUS eligatur eodem modo quo Censores.

Collegii reditus & emolumenta percipiat Thesaurarius, & conservet in usum Collegii: Ejusdem supellectilem, libros, utensilia, ornamenta procuret.

Si quid reparandum fuerit in Collegii ædificiis, curet ut id tempestive fiat.

Lites Collegii ipse cum Præsidente aut Propræsidente & Censoribus prosequatur.

Collegii Officiariis sua cuique stipendia, ex statutis debita, quatuor usitatis anni temporibus persolvat.

Pecunias Collegii ad calculos revocet, & earundem rationem Præsidenti aut

aut Propræſidenti & Electis reddat, quoties ad hoc a Præſidente vocatus fuerit.

Reparandis Collegii ædificiis, rebuſque neceſſariis in uſum Collegii coemendis, ne impendat plus quam quadraginta ſolidos, ſine Præſidentis aut Propræſidentis conſenſu.

Theſaurario, pro honorario, ſolvantur quotannis ex Collegii reditibus libræ duodecim cum decem ſolidis.

Det fidem ſe perfuncturum officio ſuo fideliter ſecundum ſtatuta, omniaque acturum in honorem & utilitatem Collegii.

CAPUT

CAPUT V.

De Regiſtrario.

REGISTRARIUS eligatur eodem modo quo Theſaurarius.

Officium Regiſtrarii hoc eſto. Singulis Collegii comitiis, ſive majoribus ſive minoribus, legitime & tempeſtive admonitus per Bedellum, coram adſit ſub pœna decem ſolidorum.

Sin autem cauſa qualibet, a Præſidente aut Propræſidente approbanda, impeditus fuerit quo minus adeſſe poſſit; liceat ei Socium aliquem pro tempore ſubſtituere, qui & abſentiæ ejus cauſam Præſidenti aut Propræſidenti ſignificet, & locum ipſius diligenter ſuppleat.

Quæcunque ibi acta fuerint, (niſi quæ ſint levioris momenti) literis mandet, & antequam comitia iſta ſoluta fuerint

fuerint clara voce perlegat. Quæ quidem acta, ſic perlecta, & a Præſidente aut Propræſidente & majori parte Sociorum præſentium approbata, poſtquam iiſdem Præſidens aut Propræſidens nomen ſuum ſubſcripſerit, in librum annalium, quam primum commode fieri poterit, inſerantur.

Volumus præterea ut initio comitiorum proxime inſequentium, tradito in manus Præſidentis aut Propræſidentis annalium libro, acta eadem, quibus Præſidentis aut Propræſidentis nomen in comitiis prioribus ſubſcriptum fuerit, perlegantur.

Formulas literarum ad Collegium vel a Collegio datarum in librum annalium inſerat, ſi Præſidenti vel Collegio viſum fuerit.

Pro honorario quotannis ſolvantur Regiſtrario ex Collegii reditibus libræ duodecim cum decem ſolidis.

Det

Det fidem ſe officio ſuo rite perfunctúrum in honorem & utilitatem Collegii, omniaque diligenter libro annalium, quæ fuerint acta vel in majoribus vel in minoribus comitiis, ſine fraude inſcripturum.

CAPUT VI.

De Bibliothecario.

STATUIMUS & ordinamus ut a Præſidente, Electis, & duobus e Cenſorum numero ſenioribus, quibus etiam Bibliothecæ curam mandamus, & eligatur Bibliothecarius & pro ipſorum arbitrio amoveatur.

Bibliothecario e Collegii reditibus quotannis ſolvantur libræ viginti.

E pecunia vero in uſum Bibliothecæ undecunque numerata, libris Collegii juſſu tam coemendis quam commutandis,

tandis, quantum opus fuerit, impendatur.

Rationem autem acceptorum & impensorum in usum Bibliothecæ, ad calculos separatim revocatam, Præsidenti & reliquis Curatoribus prædictis reddat Thesaurarius, quoties ad hoc a Præsidente vocatus fuerit.

Liceat cuilibet vel Collegæ vel Permisso, modo tempore admissionis suæ libras duas cum solidis duobus in usum Bibliothecæ solverit, libros quosvis domum deportare; ea tamen lege, ut libros sibi traditos Syngrapha sua agnoscat, & eosdem se redditurum spondeat; nec non ante comitiorum majorum ordinariorum proxime insequentium tempus libros eosdem Bibliothecario reddat, sub pœna quinque solidorum pro singulis libris in usum Bibliothecæ numerandorum.

Qua-

Quapropter, antequam comitia ſoluta fuerint, volumus ut, Præſidentis aut Propræſidentis monitu, an librorum in Bibliotheca repoſitorum numerus ſit completus, Socios præſentes certiores faciat Bibliothecarius.

CAPUT VII.

De Bedello.

QUOTIES Bedellus defecerit, in ejus locum proponatur alius a Præſidente in comitiis majoribus, ſive ordinariis ſive extraordinariis, eligendus.

Deficere autem Bedellum volumus, ſi aut mortuus fuerit, aut officium ſuum reſignaverit, aut a majori parte Sociorum in comitiis majoribus, ſive ordinariis ſive extraordinariis, præſentium amotus fuerit.

Det fidem Bedellus ſe fideliter & ſedulo inſerviturum Præſidenti & Collegio in omnibus Collegii negotiis. Promittat inſuper ſe nec prece, nec pretio, nec gratia, ſecreta Collegii cuipiam vulgaturum.

Hujus officium eſto ſchedulas admonitionum ſcribere: Collegas omnes ad comitia accerſere: in eorum adventum omnia parare, nitida conſervare: in comitiis ut & in conviviis miniſtrare: res in Collegii uſum a Præſidente acceptas fideliter ferre & referre; quibuſcunque ſive medicis, ſive agyrtis & impoſtoribus, jubente Præſidente aut Cenſoribus, diem indicere: pharmaca ſive vitiata ſive adulterina, juſſu Cenſorum, comburere, aut aliter deſtruere: Collegii inſignia geſtare: & cætera peragere quæ ſunt miniſtri.

Bedello ſtipendium duodecim librarum quotannis ſolvantur.

CAPUT

CAPUT VIII.

De Comitiis majoribus.

COMITIA vocamus *congregationes illas licitas & honeſtas*, quas ut *Præſidens & Collegium ſive Communitas & eorum Succeſſores de ſeipſis habeant*, Rex Henricus conceſſit.

Ordinaria autem ſive ſtata comitia, majora dicenda, quater anno celebrentur. Prima ſcilicet poſtridie Divi Michaelis: Secunda poſtridie Divi Thomæ: Tertia poſtridie feſti Palmarum: Quarta poſtridie Nativitatis Divi Johannis Baptiſtæ. Sin ob graviæ quævis impedimenta id quocunque horum dierum non licebit, alio die magis idoneo celebrentur, modo ſit intra hebdomadam a tempore præſtituto.

Et præter ſtata illa ſive ordinaria, Præſidenti concedimus, ut comitia majora

majora extraordinaria, quoties ipſi viſum fuerit, imo per fidem Collegio datam ipſi præcipimus, ut, quoties quatuor Cenſores aut quinque e Sociorum numero id per literas ad ipſum miſſas petiverint, intra dies quinque indicat. Atque in omnibus illis majoribus comitiis, ſive ordinariis ſive extraordinariis, volumus ut ſaltem decem Socii adſint, præter Præſidentem aut Propræſidentem.

Statuimus autem & ordinamus ut Socii omnes, qui in urbe aut ſuburbiis habitant, ſingulis comitiis majoribus, ſive ordinariis ſive extraordinariis, interſint; niſi grave aliquod impedimentum obſtiterit.

Quapropter triduo antequam futura ſint comitia majora, aut pridie ejus diei, ſi res urgeat, auctoritate Præſidentis monendi ſunt omnes Socii in urbe aut ſuburbiis habitantes per Bedellum ut interſint comitiis futuris, die, hora,

&

& loco, præſcriptis: modus autem admonitionis talis eſto: - - - *Auctoritate Præſidentis moneo te, Domine, ut comitiis majoribus (ordinariis vel extraordinariis) interſis die, hora, & loco, a Præſidente præſcriptis. A. B. Bedellus.*

In comitiis majoribus, ſive ordinariis ſive extraordinariis, fiant electiones & admiſſiones Sociorum, Candidatorum, & Permiſſorum; aliaque negotia a Sociis univerſis communiter tractanda ibidem excutiantur. Quod vero ad Candidatorum & Permiſſorum examinationes attinet, eæ fieri poſſint vel in majoribus comitiis, vel in minoribus ſive Cenſoriis, pro arbitrio Præſidentis aut Propræſidentis, & Cenſorum, aut eorum partis majoris.

In omnibus comitiis (tam majoribus quam minoribus) Præſidens aut Propræſidens conventus cauſam exponat; quid ſinguli ordine dicant expectet, accipiatque ſuffragia.

Qui-

Quicunque proponit aut dicit aliquid, ſtet capite aperto, & Præſidentem aut Propræſidentem ſolum alloquatur. Quod ſi plures ſimul loqui incœptent, cedat junior ſeniori. Unuſquiſque, quam breviter poterit, & ad rem propoſitam ſemel tantum loquatur, niſi impetrata a Præſidente aut Propræſidente venia, & ejuſdem monitu ſileat. Nemini liceat loquentem interpellare, niſi Præſidenti aut Propræſidenti, aut Cenſorum præſentium ſeniori, cujus etiam munus eſto quemlibet officii ſui admonere. Reliqui Socii attenti ſint, nec privatis colloquiis, ſuſurris, ſtrepituve, loquentem vel auditores interturbent: & ſemper ad Præſidentis nutum fiat ſilentium. Qui contra fecerit, pro arbitrio Præſidentis aut Propræſidentis, & præſentium tam Cenſorum quam ſenioris ex Electis præſentibus, vel eorum partis majoris, plectatur.

In

In rebus dubiis & magni momenti Delegati pro arbitrio Præſidentis conſtituantur, qui rem undiquaque excutiant, referantque ad Collegium. Ita tamen ut liberum nihilominus ſit Sociis omnibus, vel Sociorum in comitiis majoribus præſentium majori parti, Delegatorum ſententiam vel confirmare vel irritam facere.

Nemo ſuffragia Sociorum roget, niſi Præſidens aut Propræſidens.

Nemo denique diſcedat, niſi impetrata prius a Præſidente aut Propræſidente venia, antequam Præſidens aut Propræſidens comitia diſertis hiſce verbis dimiſerit - - *Solvimus hæc comitia.*

CAPUT

CAPUT IX.

De Comitiis minoribus, ſive Cenſoriis.

HABEANTUR etiam alia comitia, minora ſive Cenſoria dicenda, ſingulis menſibus, aliiſve temporibus, Præſidentis aut Cenſorum ſenioris monitu.

In his, tam qui in Candidatorum ordinem, quam qui in Permiſſorum numerum petunt ut admittantur, pro arbitrio Præſidentis aut Propræſidentis & Cenſorum, aut eorum partis majoris, forma mox præſcribenda examinentur: Res item agyrtarum & impoſtorum, omniumque *medicinæ facultatem non bene exequentium* excutiantur, aliaque id genus negotia (ſi modo Cenſoribus ita viſum fuerit) tractentur.

In

In minoribus illis comitiis, ad examinationem quidem eorum, tam qui in Candidatorum ordinem, quam qui in Permiſſorum numerum petunt ut admittantur, ſufficiat, ſi Præſidens aut Propræſidens, Regiſtrarius aut Socius qui ejus locum ſuppleat, & quatuor Cenſores adſint. Sin autem gravi aliqua cauſa, a Præſidente aut Propræſidente & Cenſoribus præſentibus aut eorum parte majori approbanda, quilibet Cenſor impeditus fuerit quo minus adeſſe poſſit; ei liceat (impetrata prius a Præſidente aut Propræſidente venia) aliquem e Sociorum numero pro ea vice ſubſtituere: ita tamen ut non pauciores quam tres Cenſores, præter Socium Cenſoris abſentis vicarium, Præſidentem aut Propræſidentem, & Regiſtrarium vel ejus vicarium, conveniant. Rebus autem agyrtarum & impoſtorum, omniumque medicinæ facultatem non bene exequentium excutiendis, aliiſque id genus negotiis (cum conſenſu Cenſorum)

ibidem tractandis, volumus ut quatuor Censores &, iisdem consentientibus, Præsidens & Regiſtrarius interſint, modo per Bedellum a Censorum seniore vocati fuerint.

Absit tamen, ut per præmissa potestatem quamlibet Censoribus a regni Statutis concessam quovismodo imminuere velle videamur.

CAPUT X.

De Statutis condendis aut abrogandis.

NEMO statutum quodvis vel condendum vel abrogandum in comitiis majoribus proponat, nisi prius consilium suum cum Præsidente communicaverit. Volumus autem ut, quoties aliquod novi in iis, quæ ad Statuta pertinent, proponendum fuerit, id Præsidens Sociis omnibus, quotquot in urbe aut suburbiis habitant, schedula monitoria

toria notum faciat, ſaltem triduo ante comitiorum habendorum tempus.

Ad ſtatutum aliquod novum condendum ſufficiant comitia duo majora, vel ordinaria vel extraordinaria; ad abrogandum non niſi tria. Volumus autem ut major pars Sociorum præſentium propoſitis aſſentiatur in comitiis prædictis continuo ordine habitis.

Quicquid de hac re in comitiis primis a majori parte Sociorum præſentium decretum fuerit, id literis mandatum, ſi Collegio viſum fuerit, alicujus juriſperiti judicium ſubeat: cujus reſponſum in comitiis majoribus proxime inſequentibus, ſi quidem id commode fieri poterit, per Præſidentem aut Propræſidentem renuncietur.

CAPUT

CAPUT XI.

De Candidatis.

PER *Collegas* intelligi volumus aut Socios, aut ſocietatis noſtræ Candidatos.

Statuimus autem & ordinamus ut nemo in Candidatorum ordinem admittatur, qui pro refractario habitus fuerit, & ea de cauſa medicinæ facultate in urbe Londino aut per ſeptem milliaria in circuitu ejuſdem exercenda interdictus; niſi ex ſententia Præſidentis & Cenſorum, aut eorum majoris partis, notam iſtam ſubmiſſius ſe gerendo eluerit, & per eoſdem interdictione ſolutus fuerit; nimirum ante examinationem primam.

Nemo in Candidatorum ordinem admittatur, qui non prius omnes Socios in urbe & ſuburbiis habitantes gratiæ impe-

impetrandæ ergo viſitaverit; nimirum ante examinationem primam.

Nemo in Candidatorum ordinem admittatur, niſi qui in omnia Britannorum jura natus ſit, & niſi qui in academia vel Oxonienſi vel Cantabrigienſi medicinæ doctor creatus fuerit: idque poſtquam omnia in ſtatutis utriuſvis academiæ præſcripta compleverit, ſine diſpenſatione vel gratia inſolita. Si quis vero doctoratus gradum in academia Dublinienſi adeptus fuerit, volumus ut, antequam eligendus proponatur, literas teſtimoniales tam ab illa academia, de præſtitis omnibus exercitiis ibi neceſſariis ſine diſpenſatione vel gratia inſolita, quam ab alterutra academiarum noſtrarum de incorporatione ſua, Regiſtrario proferat. Illos vero, qui in prædictis academiis vel honoris cauſa, vel ex mandato qualicunque aut privilegio extraordinario, medicinæ doctores creati fuerint, gradus iſtiuſmodi virtute in Candidatorum

ordinem

ordinem cooptari nolumus. Si quis tamen, in qualibet academia animo ſtudendi quatuor annos commoratus, doctoris in medicina gradum ſuſceperit, & ſingulari favore Collegii dignus viſus fuerit, liceat per majorem partem Sociorum præſentium in comitiis iis ordinariis majoribus, quæ poſtridie Divi Michaelis habentur, illum, poſtquam in Permiſſorum numero per tres annos fuerit, in Candidatorum ordinem cooptare: dummodo iſta cooptatio viginti ſuffragiis per pilas occulte acceptis ſanciatur, & ne quod aliud Collegii ſtatutum inhabilem illum ad id beneficium accipiendum reddiderit.

Nemo in Candidatorum ordinem admittatur, qui medicamentum quodvis arcanum (*noſtrum* vulgo dictum) in morbis curandis uſurpare ſolitus fuerit, niſi id medicamentum Præſidenti aut Propræſidenti & Cenſoribus plane expoſuerit; nimirum ante examinationem primam.

Nemo

Nemo in Candidatorum ordinem admittatur, qui vel in eccleſia Anglicana, vel in quovis coetu ab eccleſia illa diſſentientium, ſacris ordinibus initiatus fuerit; aut qui pharmacopolæ, vel chirurgi, vel obſtetricis arte, aut mercibus quibuſvis vendendis victum quæritaverit.

Nemo in Candidatorum ordinem admittatur, qui munus Collegii quodvis exequi per ſtatuta regni prohibitus eſt.

Nemo, niſi in Permiſſorum numero fuerit, in Candidatorum ordinem admittatur, qui non prius examinatus & approbatus fuerit ſecundum formam mox præſcribendam.

Nemo, quamvis electus, in Candidatorum ordinem admittatur, niſi prius fidem infra ſcriptam Præſidenti aut Propræſidenti coram Sociis præſentibus in majoribus comitiis dederit:

Dabis

Dabis fidem te observaturum statuta Collegii, aut multas tibi contra facienti irrogandas prompte persoluturum; & pro viribus conaturum ut homs ejus sartus tectus conservetur: omniaque in arte medica facturum in reipublicæ utilitatem.

Quam fidem literis mandatam quilibet Candidatus, postquam admissus fuerit, insuper confirmet nomine suo subscripto.

Unusquisque Candidatus solvat tempore admissionis suæ libras quatuordecim in usum Collegii, libras duas Præsidenti in proprios usus, singulis Censoribus libram unam, Thesaurario decem solidos, Registrario libram unam, & Bedello quatuordecim solidos: Solvat etiam libras duas cum solidis duobus in usum Bibliothecæ.

Si quis, postquam in ordinem Candidatorum fuerit admissus, in ecclesia Anglicana, vel in quovis coetu ab eccle-

ecclesia illa dissentientium, sacris ordinibus initiatus fuerit; aut pharmacopolæ, vel chirurgi, vel obstetricis arte, aut mercibus quibusvis vendendis victum quæritaverit; statuimus & ordinamus illum e Candidatorum ordine excidisse, neque pro Collega exinde habendum esse.

Si quis Candidatus criminis alicujus gravioris ac publici damnatus, aut scelere aliquo insigni infamis fuerit; e Candidatorum ordine expellatur, si ita visum fuerit majori parti Sociorum in comitiis majoribus præsentium, suffragiis per pilas occulte acceptis.

Statuimus denique & ordinamus, ut, si quis Candidatus medicamentum quodvis arcanum (*nostrum* vulgo dictum) venditet, & delicti hujusce a Præsidente & Censoribus, aut eorum majori parte, convictus fuerit, e Candidatorum ordine modo prædicto expellatur; nisi medicamentum istud,

ac methodum medendi omnem, in morbo quolibet curando ab ipso usurpatam, Præsidenti & Censoribus, quoties ab illis monitus fuerit, plane exposuerit.

CAPUT XII.

De Sociis.

NEMO in Sociorum ordinem admittatur, qui non fuerit annum integrum Candidatus: præter regis vel regiæ conjugis medicum ordinarium cum stipendio, aut in academia vel Cantabrigiensi vel Oxoniensi medicinæ Professorem regium. Modo tamen tam regis vel regiæ conjugis medicus ille, quam Professor regius, in omnia Britannorum jura natus sit, & in academia vel Oxoniensi vel Cantabrigiensi medicinæ doctor creatus fuerit; idque postquam omnia in statutis utriusvis academiæ præ-

præſcripta compleverit, ſine diſpenſatione vel gratia inſolita. Si vero regis vel regiæ conjugis medicus ille, aut Profeſſor regius prædictus, doctoratus gradum in academia Dublinienſi adeptus fuerit; volumus ut, antequam eligendus proponatur, literas teſtimoniales tam ab illa academia, de præſtitis omnibus exercitiis ibi neceſſariis ſine diſpenſatione vel gratia inſolita, quam ab alterutra academiarum noſtrarum de incorporatione ſua, Regiſtrario proferat. Illos vero, qui in prædictis academiis vel honoris cauſa, vel ex mandato qualicunque, aut privilegio extraordinario medicinæ doctores creati fuerint, gradus iſtiuſmodi virtute in ſocietatem noſtram cooptari nolumus. Requirimus præterea, ut prædictus tam regis vel regiæ conjugis medicus, quam Profeſſor regius, priuſquam eligendus a Præſidente aut Propræſidente in comitiis majoribus proponatur, Socios

omnes

omnes in urbe & ſuburbiis habitantes gratiæ impetrandæ ergo viſitet.

Nullus Candidatus in Sociorum ordinem admittatur, niſi prius Præſidentem gratiæ impetrandæ ergo viſitaverit.

Nemo in Sociorum ordinem admittatur, qui medicamentum quodvis arcanum (*noſtrum* vulgo dictum) in morbis curandis uſurpare ſolitus fuerit, niſi id medicamentum Præſidenti aut Propræſidenti & Cenſoribus plane expoſuerit.

Nemo in Sociorum ordinem admittatur, qui munus Collegii quodvis exequi per ſtatuta regni prohibitus eſt.

Nemo in Sociorum ordinem admittatur, qui vel in eccleſia Anglicana, vel in quovis coetu ab eccleſia illa diſſentientium, ſacris ordinibus

bus initiatus fuerit; aut qui pharmacopolæ vel chirurgi vel obſtetricis arte, aut mercibus quibuſvis vendendis victum quæritaverit.

Unuſquiſque ex ordine Candidatorum in Sociorum ordinem electus, antequam admittatur, ſolvat libras quatuordecim in uſum Collegii, libram unam Præſidenti in proprios uſus, ſingulis Cenſoribus decem ſolidos, Theſaurario decem ſolidos, Regiſtrario decem ſolidos, & Bedello quatuordecim ſolidos.

Statuimus autem & ordinamus ut, quicunque in Sociorum ordinem electus, non prius fuerit aut annum integrum Candidatus, aut ad medicinæ facultatem in urbe Londino aut per ſeptem milliaria in circuitu ejuſdem exercendam admiſſus, tam Collegio quam officiariis prædictis & Bedello, antequam admittatur, duplam pecuniæ a Candidatis numerandæ ſummam perſolvat.

Nemo

Nemo in Sociorum ordinem electus admittatur, nisi prius fidem infra scriptam Præsidenti aut Propræsidenti coram Sociis præsentibus in majoribus comitiis dederit.

" *Adniteris pro viribus ut status*
" *Collegii perpetuetur. Statuta Col-*
" *legii observabis, aut multas tibi*
" *contra facienti irrogandas prompte*
" *persolves.*

" *Secreta Collegii foras non vul-*
" *gabis.*

" *Neminem aut in Sociorum vel*
" *Candidatorum ordinem cooptandum,*
" *aut ad medicinæ facultatem in urbe*
" *Londino aut per septem milliaria*
" *in circuitu ejusdem exercendam ad-*
" *mittendum decernes; quem, sepositio*
" *omni affectu, scientia aut moribus*
" *minus idoneum esse judicaveris.*

" *Omnia*

" *Omnia denique in arte medica pro*
" *viribus facies, ad honorem Collegii &*
" *reipublicæ utilitatem.*"

Quam fidem, literis mandatam, quilibet Socius, poſtquam admiſſus fuerit, inſuper confirmet nomine ſuo ſubſcripto.

Statuimus etiam ut omnes Socii tempore admiſſionis ſuæ literas patentes habeant ſigillo Collegii munitas ſub hac forma: . . . .

" *Sciant omnes, Nos* A. B. *Medi-*
" *cinæ Doctorem, & Præſidentem Col-*
" *legii Medicorum Londinenſis, una*
" *cum conſenſu Sociorum ejuſdem, auc-*
" *toritate nobis a Domino Rege & Par-*
" *liamento conceſſa, approbaſſe, & in*
" *ſocietatem noſtram cooptaſſe doctum*
" *& probum virum* T. S. *in floren-*
" *tiſſima academia . . . . . Medi-*
" *cinæ Doctorem: eique conceſſiſſe libe-*
" *ram facultatem & licentiam exer-*

" *cendi*

" *cendi ſcientiam & artem medicam,*
" *juxta formam ſtatutorum ad hoc*
" *editorum: largitoſque præterea uſum*
" *& fructum omnium commoditatum,*
" *libertatum, ac privilegiorum, quæ Col-*
" *legio noſtro auctoritate prædicta &*
" *jam conceſſa ſunt, & in futurum*
" *concedenda. In cujus rei fidem &*
" *teſtimonium ſigillum noſtrum com-*
" *mune præſentibus apponi fecimus.*
" *Datum Londini in Collegio noſtro*
" *. . . . die menſis . . . . annoque*
" *Domini . . . .*

Si quis, poſtquam in Sociorum ordinem fuerit admiſſus, in eccleſia Anglicana, vel in quovis cœtu ab eccleſia illa diſſentientium, ſacris ordinibus initiatus fuerit, aut pharmacopolæ vel chirurgi vel obſtetricis arte, aut mercibus quibuſvis vendendis victum quæritaverit; ſtatuimus & ordinamus illum e ſocietate noſtra excidiſſe, neque pro Collega exinde habendum eſſe.

Si

Si quis Socius criminis alicujus gravioris ac publici damnatus, aut ſcelere aliquo inſigni infamis fuerit; e ſocietate noſtra expellatur, ſi ita viſum fuerit majori parti Sociorum in comitiis majoribus præſentium, ſuffragiis per pilas occulte acceptis.

Statuimus denique & ordinamus, ut, ſi quis Socius medicamentum quodvis arcanum (*noſtrum* vulgo dictum) venditet, & delicti hujuſce a Præſidente & Cenſoribus, aut eorum majori parte, convictus fuerit; e ſocietate noſtra modo prædicto expellatur.

CAPUT XIII.

De Permiſſis, ſive ad facultatem medicinæ in urbe Londino aut per ſeptem milliaria in circuitu ejuſdem exercendam admiſſis.

QUANDOQUIDEM Regis & Parliamenti auctoritate *conceſſum eſt Præſidenti & Collegio ſeu Communitati facultatis medicinæ London & ſucceſſoribus ſuis, quod nemo in dicta civitate aut per ſeptem milliaria in circuitu ejuſdem exerceat dictam facultatem, niſi ad hoc per dictum Præſidentem & Communitatem, ſeu ſucceſſores eorum qui pro tempore fuerint, admiſſus ſit per ejuſdem Præſidentis & Collegii literas ſigillo ſuo communi ſigillatas, &c:* complures autem in urbe & circuitu prædictis reperiuntur, tam ſcientia quam moribus idonei, qui medicinæ facultatem exerceant; quos tamen in Candidatorum vel Sociorum ordinem cooptari vetant Statuta noſtra:

De

De his ſtatuimus & ordinamus ut, poſtquam forma mox præſcribenda examinati, & a Præſidente aut Propræſidente & Cenſoribus, aut eorum majori parte, approbati fuerint; in comitiis majoribus, ſive ordinariis ſive extraordinariis, a Præſidente aut Propræſidente proponantur admittendi *ad facultatem medicinæ in urbe Londino & per ſeptem milliaria in circuitu ejuſdem exercendam.*

Statuimus autem ut, antequam quiſpiam admittatur, ſi forte chirurgorum aut pharmacopolarum ſodalitio olim donatus fuerit, ſodalitii iſtius privilegiis omnibus renunciet, nec non emancipationis ſuæ literas authenticas Regiſtrario proferat.

Statuimus etiam ut, antequam quiſpiam admittatur, ſolvat libras triginta duas in uſum Collegii, libras duas Præſidenti in proprios uſus, ſingulis Cenſoribus libram unam, Theſaurario quinde-

quindecem ſolidos, Regiſtrario libram unam, & Bedello libram unam cum ſolidis quinque. Quod ſi quis modo prædicto Permiſſus in ordinem Candidatorum vel Sociorum poſtmodum cooptatus fuerit; ſtatuimus ut nullam amplius pecuniæ ſummam in uſum Collegii tempore admiſſionis ſuæ ſolvat.

Statuimus denique ut, antequam quiſpiam admittatur, det fidem infra ſcriptam Præſidenti aut Propræſidenti coram Sociis præſentibus in majoribus illis comitiis.

" *Dabis fidem te obſervaturum Sta-*
" *tuta Collegii, aut multas tibi contra*
" *facienti irrogandas prompte perſolu-*
" *turum: omniaque in arte medica pro*
" *viribus facturum in honorem Collegii*
" *& reipublicæ utilitatem.*"

Quam fidem literis mandatam quilibet Permiſſus, poſtquam admiſſus fuerit,

fuerit, insuper confirmet nomine suo subscripto.

Si quis vero (medicinæ Doctor in academia Oxonienſi vel Cantabrigienſi fuerit necne) in urbe Londino aut per ſeptem milliaria in circuitu ejuſdem medicinæ facultatem exercuerit, qui ad hoc per Præſidentis & Collegii literas ſigillo noſtro communi ſigillatas non ſit admiſſus; auctoritate Præſidentis & Cenſorum (ſi modo ipſis ita viſum fuerit) admoneatur per Bedellum, ut præfixo tempore ſe coram Præſidente & Cenſoribus ſiſtat eorum examinationem expectaturus. Bedellus autem tempore admonitionis ſchedulam vel ipſi in manus tradat, vel in domo ejus relinquat, in hæc verba:

We the Preſident and Cenſors of the College or Commonalty of the faculty of Phyſick London *do hereby admoniſh you to deſiſt from the practice of Phyſick within the ſaid city or ſeven miles round*

round the ſame, until you ſhall have obtained a licence to practice under the common ſeal of the ſaid College or Commonalty, after having been duly examined by us touching your ſkill and ability. In order to which examination, we do ſummon you to appear in perſon before us at our College in Warwick-Lane *in the ſaid city . . . . . day of . . . . .*

A. B. *Preſident.*

A. B. W. A. *Cenſors.*

Given at our College . . . day of . . .

Quod ſi ad hunc modum admonitus non comparuerit loco & tempore præfixis, nec cauſam abſentiæ ſuæ, per Præſidentem & Cenſores aut eorum partem majorem approbandam, allegaverit; admoneatur ſecunda vice per Bedellum eodem quo prius modo, in hæc verba:

This

This is to give you notice that, unleſs you appear in perſon before the Preſident and Cenſors of the College or Commonalty of the faculty of Phyſick London *at their College in* Warwick-Lane *in the ſaid city . . . . day of . . . . you will be interdicted from practice by the ſaid Preſident and Cenſors, and moreover proſecuted according to law for having practiſed Phyſick without the licence of the ſaid College or Commonalty.*

T. L. *Regiſter.*

Quod ſi poſt ſecundam hanc admonitionem non comparuerit loco & tempore præfixis, nec cauſam abſentiæ ſuæ, per Præſidentem & Cenſores aut eorum partem majorem approbandam, allegaverit; pro Refractario habeatur, & medicinæ facultate in urbe Londino & per ſeptem milliaria in circuitu ejuſdem exercenda interdicatur, hac monitione ad eum per Bedellum miſſa,

&

& in manus tradita, aut in domo ejus relicta:

We the Preſident and Cenſors of the College or Commonalty of the faculty of Phyſick London *do hereby interdict you from practiſing Phyſick within the ſaid city and ſeven miles round the ſame.*

A. B. *Preſident.*

A. B. W. A. *Cenſors.*

Given at our College . . . day of . . .

Witneſs T. L. *Regiſter.*

Quo facto ſecundum regni ſtatuta illico plectatur.

Quod ſi ad hunc modum admonitus comparuerit quidem coram Præſidente aut Propræſidente & Cenſoribus, ſed illis tamen reſpondere & ſcientiæ ſuæ in medicina facienda rationem reddere recuſaverit; pro Refractario habeatur, & a Præſidente aut Propræſidente coram

ram Cenſoribus medicinæ facultate in urbe Londino & per ſeptem milliaria in circuitu ejuſdem exercenda interdicatur; nec non ſecundum regni ſtatuta illico plectatur.

Quod ſi quiſpiam, poſt admonitionem hujuſmodi, a Præſidente aut Propræſidente & Cenſoribus examinatus, eorum partis majoris ſententia (ſuffragiis per pilas occulte acceptis) minus peritus, nec ad medicinæ facultatem exercendam idoneus habitus fuerit; a Præſidente aut Propræſidente coram Cenſoribus medicinæ facultate in urbe Londino & per ſeptem milliaria in circuitu ejuſdem exercenda interdicatur; nec non, ſi, non obſtante hujuſmodi interdictione, medicinæ facultatem in urbe dicta aut per ſeptem milliaria in circuitu ejuſdem denuo exercuerit, ſecundum regni ſtatuta illico plectatur.

Sin autem quiſpiam, admonitione nulla præmiſſa, ſe Præſidenti aut Pro-

præſidenti & Cenſoribus ultro examinandum ſubmiſerit; illorum vero partis majoris ſententia (ſuffragiis per pilas occulte acceptis) minus peritus, nec ad medicinæ facultatem exercendam idoneus habitus fuerit; mitius cum illo agendum volumus. Admoneatur quidem a Præſidente aut Propræſidente coram Cenſoribus, at ſermonis quodam temperamento, ne medicinam amplius in dicta urbe aut per ſeptem milliaria in circuitu ejuſdem faciat, donec ipſorum ſententia peritior & ſatis idoneus habitus fuerit: neutiquam vero interdicatur, nedum ob praxin priorem plectatur; niſi conſtiterit eum in urbe Londino aut per ſeptem milliaria in circuitu ejuſdem medicinæ facultatem denuo exercere, licet ad hoc per literas Præſidentis & Collegii non ſit admiſſus.

Statuimus etiam ut, quoties aliquis, ad medicinæ facultatem in urbe Londino & per ſeptem milliaria in circuitu

cuitu ejuſdem exercendam ut admittatur, in comitiis minoribus ſive Cenſoriis examinandus fuerit, Socios omnes in urbe dicta & ſuburbiis habitantes examinationis illius futuræ, quam primum commode fieri poterit, certiores faciat Bedellus. Si quis vero per Præſidentem aut Propræſidentem & Cenſores facultate medicinæ exercenda interdictus fuerit; ad ſingulos tam Socios quam Candidatos, nec non Permiſſos, in dicta urbe & ſuburbiis habitantes, interdicti nomen per Bedellum, auctoritate Præſidentis, quam primum commode fieri poterit, deferatur; nec non ad finem catalogi quotannis edendi imprimatur.

Statuimus denique & ordinamus, ut omnes Permiſſi tempore admiſſionis ſuæ literas patentes habeant ſigillo Collegii munitas ſub hac forma:

Sciant

Sciant omnes Nos A. B. *Medicinæ Doctorem, & Præsidentem Collegii Medicorum Londinensis, una cum consensu Sociorum ejusdem, auctoritate nobis a Domino Rege & Parliamento concessa, examinasse, & admisisse doctum & probum virum . . . . . ad facultatem medicinæ in civitate Londino & per septem milliaria in circuitu ejusdem exercendam. In cujus rei fidem & testimonium sigillum nostrum commune præsentibus apponi fecimus. Datum Londini . . . . die mensis . . . . anno que Domini . . . . .*

CAPUT

CAPUT XIV.

De Examinationum & Admissionum Forma.

STATUIMUS & ordinamus ut, antequam quispiam aut in Candidatorum ordinem, aut ad medicinæ facultatem in urbe Londino & per septem milliaria in circuitu ejusdem exercendam admittendus proponatur, examinetur in tribus comitiis, sive majoribus sive minoribus, pro arbitrio Præsidentis aut Propræsidentis & Censorum, aut eorum majoris partis; ut antea ordinatum est in capite de comitiis majoribus.

In primis comitiis examinetur in parte Physiologica.

In secondis examinetur in parte Pathologica.

In

In tertiis examinetur in parte Therapeutica.

Omnes hæ examinationes, pro arbitrio Præſidentis aut Propræſidentis & Cenſorum, aut eorum partis majoris, (ut prius ſtatutum eſt) fieri poſſunt in comitiis minoribus ſive Cenſoriis a Præſidente aut Propræſidente & quatuor Cenſoribus, aut, uno ex Cenſoribus abſente, a Præſidente aut Propræſidente, tribus Cenſoribus & abſentis Cenſoris vicario. Liceat tamen cuilibet Socio pro arbitrio diſputare, & periculum facere, quantum examinandus in re medica valeat.

Statuimus denique & ordinamus ut, qui ad hunc modum examinatus, & a Præſidente aut Propræſidente & Cenſoribus, aut eorum majori parte (ſuffragiis per pilas occulte acceptis) approbatus fuerit; in comitiis majoribus proxime inſequentibus, ſi quidem commode fieri poterit, ſin minus, in comitiis

mitiis quibuslibet majoribus, ſive ordinariis ſive extraordinariis, a Præſidente aut Propræſidente proponatur in Candidatorum ordinem, vel Permiſſorum numerum admittendus; &, ſi electus fuerit, peractis iis ab ipſo, quæ per ſtatuta noſtra requiruntur, quam primum admittatur.

Admittendus, flexis genubus, manus invicem applicatas humiliter tradat in manus Præſidentis aut Propræſidentis, qui dicat,

Ego A. B. *Præſidens vel Propræſidens hujus Collegii admitto te* T. S. *in ſocietatem noſtram, vel in ordinem Candidatorum, vel ad medicinæ facultatem in urbe Londino & per ſeptem milliaria in circuitu ejuſdem exercendam; precorque tibi omnia fauſta.*

CAPUT

CAPUT XV.

De Converſatione morali, & Statutis pœnalibus.

NE quis quidquam vulget, quod in comitiis ſive majoribus ſive minoribus, ſecreti nomine, dictum ſit.

Nullus Collega aut alium Collegam, aut ad medicinæ facultatem a Collegio admiſſum; nullus Permiſſus quemvis e Collegarum aut Permiſſorum numero, vel ignorantiæ vel maleficii nomine, niſi coram judicibus legitimis, accuſet, aut coram quibuſvis afficiat contumeliis. Si quem contra feciſſe Præſidenti & Cenſoribus, aut eorum majori parti, innotuerit, prima vice ſolvat quatuor libras; ſecunda vice duplicetur multa: quod ſi tertio quis ſimiliter deliquerit, & modo prædicto convictus fuerit; ſiquidem Socius aut Candidatus fuerit, expellatur e ſocietate noſtra, vel e Candidatorum ordine, ſin idem ſit e Permiſſorum

miſſorum numero, ſolvat decem libras. Quam quidem decem librarum multam, quotieſcunque idem Permiſſus ejuſdem delicti modo prædicto denuo convictus fuerit, ipſi irrogandam ſtatuimus.

Nullus medicus (ſive Collega, ſive Permiſſus, ſive etiam ad praxin a Collegio nondum admiſſus) qui non accerſitus fuerit, ægro cuilibet, quem medici cujuſvis (ſive Collegæ, ſive Permiſſi, ſive etiam ad praxin a Collegio nondum admiſſi) curæ commiſſum eſſe cognoverit, ſalutatione officioſa animique benevoli obtentu, opem medicam ultro offerat, nedum ſubminiſtret. Si quis autem malitiæ hujuſmodi a Cenſoribus convictus fuerit; præter ignominiæ notam, quam iſti (quantum in nobis eſt) inuri volumus, pro arbitrio Cenſorum plectatur.

Si quis paciſcitur cum pharmacopolis de aliqua pretii parte ex medica-

mentis præſcribendis percipienda; ſi ſit Collega, deferentibus ejus nomen ad Collegium Præſidente & Cenſoribus, per majorem partem Sociorum in comitiis majoribus præſentium e ſocietate noſtra vel e Candidatorum ordine expellatur. Sin Permiſſus delicti hujuſce a Præſidente & Cenſoribus, aut eorum majori parte, convictus fuerit, ſolvat decem libras quotieſcunque id admiſerit.

Volumus ut medicus quiſque, ſive Socius, ſive Candidatus, ſive Permiſſus fuerit, ſingulis ſuis ſchedulis, in quibus ægri curatio præſcribitur, diem præſcriptionis, ægri nomen, & ſui denique nominis literas initiales adſcribat. Niſi cauſa interſit a Præſidente & Cenſoribus approbanda.

Si plures medici curationis gratia convenerint, conſultandum eſt ſumma modeſtia, & non niſi ſemotis arbitris a re alienis: nec quiſquam præſcribat, imo

imo ne innuat quidem quid agendum ſit coram ægro aut adſtantibus, prius quam junctis conſiliis inter ipſos medicos curandi methodus fuerit conſtituta. Sin autem medici in diverſas iverint ſententias, ita ut in eandem medendi methodum conſentire nequeant, ſumma tamen prudentia & moderatione ſe gerant; eorumque diſſenſionem, ita ut tam ægro quam amicis ejus quam minimum moleſtiæ pariat, ordinarius medicus ægro aut adſtantibus ſignificet.

Qui leges has conſultandi non obſervaverit, pro Cenſorum arbitrio plectatur.

Nullus denique medicus, ſive Collega ſive Permiſſus, conſilium ineat in urbe Londino aut per ſeptem milliaria in circuitu ejuſdem cum eorum aliquo, qui per ſtatuta noſtra pro refractariis habiti fuerint & medicinæ facultate exercenda interdicti, ſub pœna decem librarum, quotieſcunque hu-

juſce

juſce delicti a Præſidente & Cenſoribus, aut eorum majori parte, convictus fuerit.

Statuimus autem & ordinamus ut omnes multæ, quæ aut per ſtatuta regni aut per hæcce ſtatuta noſtra irrogatæ fuerint, cedant duntaxat in uſum Collegii. Volumuſque ut hæ multæ illico ſolvantur, aut ſaltem, data hypotheca qualem Præſidens expetiverit, cautum ſit de pecunia ſolvenda.

SI

Si ad hanc normam Collegium noſtrum dirigatur; florentiſſimum fore in perpetuum, & univerſæ etiam reipublicæ utiliſſimum auguramur.

Quare, per fidem Collegio datam, Socios omnes hortamur & obteſtamur, ut, pro officii ſui ratione, nemini magiſtratus munia quævis delegent, niſi quem ad ea obeunda habilem, ſepoſito omni affectu, judicaverint; neminem minus idoneum aut in Collegarum ordinem, aut ad facultatem medicinæ exercendam admittant; neminem ſecundum ſtatuta noſtra idoneum admittere recuſent. Sed pro civium ſalute, fidei ſuæ commiſſa, artiſque medicæ dignitate omnia decernant.

FINIS.

MVSEVM
BRITAN
NICVM